

veritalem et pacem à nobis exigunt. *Ber. ibid.*

20. Benignus es Domine, qui non es contentus nostra fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodiibus angelicam custodiam supponis. *Ber. ibid.*

21. Tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, et tentationibus resiste diaboli. *Bern. in ser. 40. super illud: Accesserunt ang. etc.*

22. Angelis suis mandavit de te, etc. O quantum debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, asserere devotionem, conferre fiduciam, pro præsentia reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro custodia fiduciam. Cautè ergo ambula, ubi sunt angeli, ut custodian te in omnibus viis tuis. *Bern. ibid.*

23. Credimus Angelos sanctos adstare orantibus offerre Deo vota et preces hominum, si sine deceptione levare puras manus prospexerint. *Ber. ibid.*

24. In quovis diversorio, in quocvis angulo reverentiam exhibe tuo angelo, ne audeas illo præsentem, quod me vidente non auderis. Adsunt igitur tibi non modo præsentem tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant, adsunt, ut prosint. *Ibid.*

25. Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans gratia, non natura, et immortalitatem suscipiens: cujus substantiæ speciem et terminum solus, qui creator est, novit. *Damasc. lib. 2 c. 3.*

26. Boni angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, ut cunctis administrant mundi, et regant omnia jussu Dei. *Isidor. de sum. bon.*

27. Singulæ gentes præpositos angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur. *Ibidem.*

28. Natura angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna. *Isid. ibid.*

29. Angeli sunt natura mutabiles conditi, sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, et beatitudine perpetui. *Ibi.*

30. Adest unicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem patris qui in cælis est. *Orig. sup. lib. Num. Hom. 66.*

31. Agunt angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis festinant sociare consortiis. *Orig. ibi. Hom. 96.*

Vide etiam in tit. Creatio, núm. 4. in lit. Deus, núm. 22.

ANIMA.

1. * Animæ oculus, mens, *August. in solil. c. 5.*
2. * Animæ patria est Deus ipse. *Idem de quant. ani. c. 4.*
3. * Anima justii, est sedes sapientiæ. *Idem super Psalm.*
4. * Anima hominis aut à Deo aut à diabolo regitur. *Idem serm. 14. de Temp.*
5. * Animæ medicina est credere in Christo. *Idem de verb. Dom.*
6. * Anima etiam pessima, melior optimo corpore. *Idem lib. 9. de civ. Dei, c. 9.*
7. * Animas mortuas multi in corpore vivo habent. *Idem ho. 3. in Apocal.*
8. * Animæ mortuæ sepulchrum est corpus. *Idem super Psal. 87.*
9. * Vis ut animæ tuæ caro tua serviat? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Idem.*
10. O anima christiana, evigila: et si qua in te sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia. Considera quod millia martyrum triam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt martyres, transierunt pueri et puellæ, et adhuc times? quia docet te ille, qui est via, veritas et vita. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promisso, et vita in

præmio. *August. de doctrina Christ.*

11. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram, versa et reversa in tergum, et in latera, et in ventrem, et dura sunt omnia, et tu solus requies, et ecce ades. *Aug. lib. 6. confess.*

12. Quid est, quod velis habere malum? dices mihi, nihil omnino, non uxorem, non filium, non filiam, non servum, non ancillam, non tunicam: postremò non caligam, et tu vis habere malam vitam: rogo te, præpone animam tuam caligæ tuæ. *August. in quodam serm.*

13. Anima est substantia creata invisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, imaginem habens creatoris sui. *August. in lib. de diffin. animæ.*

14. Anima est quædam substantia rationis participans, regendo corpori accommodata. *August. de qual. an.*

15. Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam naturæ dignitate præcellit. Omnis enim anima, aut Christi sponsa, aut diaboli adultera est. *Aug. super Gen. ad lit.*

16. Fœlix anima, quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, potentia reducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, charitas unit. *August. de spirit. et anima.*

17. Hæc est animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur et pascitur, et gubernatur, nec quicquam est aliud, quod vivere faciat, rationalem animam, quam eloquium Dei. *Ambros. super illud Psal. eloquium tuum vivificavit me.*

18. * Animus autor culpæ, caro verò ministra. *Ambros. offic. 1.*

19. Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem, quamquam morituram, quanti est meriti à morte animam liberare, in cælesti illa patria sine fine victuram. *Greg. in ho.*

20. Quoquo se verterit anima, si vigilanter intendit, in iisdem ipsis Deum invenit, per quæ reliquit,

ejusque potentiam et eorum consideratione cognoscit, quorum amore deseruit, et per quæ perversa cecidit, per hæc conversa revocatur. *Greg. 26. Moral.*

21. Tres vitales spiritus creavit omnipotens Deus: Unum, qui carne non regitur. Alium qui carne regitur, sed non cum carne moritur. Tertium qui carne regitur, et cum carne moritur. Primus angelorum, secundus hominum, tertius brutorum animalium. *Greg. lib. dialogor.*

22. * Sic conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. *Gregor.*

23. Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest, capacem enim Dei, quicquid Deus minus est, non implebit. *Bern. in ser. dedic.*

24. Est cælum sancta anima habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes, vel certe sol justitiæ, zelus aut feruens charitas, et luna continentia. *Bern. super Cantic.*

25. Animæ desideranti Dominus festinus occurrit, cælesti rore circumfusus. Unguentis optimis delibutus, animam recreat fatigatam, esurientem reficit, aridam impinguat, terrenorum oblitam, sui ipsius immemorem. *Ibidem.*

26. Paupertate, mansuetudine, et fletu renovatur in anima similitudo quædam, et imago æternitatis, omnia tempora complectens, nam paupertate futura meretur, mansuetudine sibi præsentia vendicat, luctu pœnitentiæ præterita quoque recuperat. *Bern. super Cant.*

27. Hæc est animæ suavissima et saluberrima requies, conscientia munda. Quies secunda sibi beatæ animæ culcitra, conscientie puritas, capitale, tranquillitas, opertorium, securitas, ut in hoc interim strato dormiat delectabiliter, et fœliciter requiescat. *Bern. ser. 106.*

28. Advertistis tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili: secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorifica-

to: primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata. *Bern. ser. 107.*

29. Quid indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? *Bern. super Cant. ser. 14.*

30. Tria ista anima curiosa Dei non cessat inquire: scilicet justitiam et iudicium, et locum habitationis gloriæ sponsi, tanquam viam in qua ambulet, ut de forma justitiæ sit formosa, de iudiciorum notitia cauta, de desiderio præsentiae seu gloriæ sponsi casta. Talem prorsus decet sponsam pulchram, eruditam, et castam. Perfectus est, in cuius anima hæc tria congruent, atque optime concurrere videbuntur, iij præ, ut genere pro se, et exultare in Deo noverit, simul proximorum utilitatibus potens sit subvenire, placens Deo, cautus sibi, utilis suis. *Bern. super Cant.*

31. Cadit asinus, et invenit qui se sublevat, cadit anima, et non est qui manum adponat. *Bern. ibi.*

32. * Anima à Deo derelicta redire plerunque vult, et non potest; tanta est reditus difficultas. *Bern. ser. 58.*

33. * Anima Dei studiosa, tria non cessat inquire, justitiam et iudicium, et locum habitationis. *Bern. ser. 55.*

34. O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinum invenisti? *Bernard. in med. et Hugo in lib. de Anima.*

35. Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit, et quod inferius est, extollit, utrumque corrumpit. Qui verò ordinem servat, et quod primum est colit, etiam si negligat, quod secundum est, per primi salutem salvabitur et secundum. *Chrys. lib. de recap. lapsi.*

36. Anima dum vivificat corpus anima est, dum vult, animus est: dum scit mens: dum recollit, me-

moria est: dum rectum iudicat ratio est: dum spirat, spiritus est: dum aliquid sentit, sensus est. *Isidor. h. Etymolo.*

37. O homo, quid miraris syderum altitudines et profunditatem maris? animi tui abyssum intra, et mirare, si potes. *Isidor. lib. 4. de sum. bon.*

38. O anima mea, egredere, quid dubitas, egredere, quid times? Ixxv annis Christo servisti, et adhuc mortem times? *Quidam sanctus.*

39. Memoria est ad mentis intuitum imaginaria quædam representatio præteritorum. *Tull.*

40. Tulum iter et jucundum est, ad quod natura te instruxit, dedit tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo consurges. Parem autem Deo te pecunia non facit: Deus nihil habet. Prætexta non faciet, Deus nudus est: fama non faciet, nec ostentatio tui. Nemo novit Deum, licet multi male de illo existiment et impune. Non turba servorum lecticam tuam portantium. Deus ille maximus potentissimusque, ipse vehit omnia, nec forma quidem et vires beatum te facere possunt. Nihil horum non patitur vetustatem. Quid ergo animus? Sed hic rectus, bonus, magnus, quid aliud voces hunc, quam Deum in corpore humano hospitantem? hic animus tam in equitem Romanum, quam libertinum, quam in servum potest cadere. *Sen. 5. epi.*

41. Sursum animum vocant initia sua, erit autem illic etiam antequam hac custodia exolvatur. Si vitia sua deseruit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuit. *Sen. 80. epi.*

42. Insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit: inexpugnabilis est, quem multis machinis laceratum fortuna non transit. Nunquam major est, quam ubi aliena disposuit, et fecit sibi pacem, nihil timendo, divitias nihil concupiscendo. *Ibidem.*

43. Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. *Senec. in proverb.*

44. Quemadmodum in corporibus magnæ sunt dissimilitudines: sic in animis majores sunt morum

varietates. Nam plerumque diversitatem corporum, diversitas sequitur animorum. *Tull. de nat. que.*

Vide etiam in tit. Abussio núm. 3. in tit. Amor núm. 26. in tit. Angelus núm. 6. in tit. Beatitude núm. 2. in tit. Caro núm. 2, 10, 13, 23, 27 in tit. Curiositas, 41. in tit. Fides 33. in tit. Homo núm. 28, 29. in tit. Ingenium núm. 5. in tit. Laus núm. 37. in tit. Mors núm. 71. in tit. Parentes, núm. 13. in tit. Virtus núm. 22.

ANIMAL BRUTUM.

1. Sensus melior in brutis quam in hominibus. *August. de quant. an.*

2. Beneficiorum Dei animalia etiam partem habent. *Chrys. in Gen. hom. 28.*

3. Animantia fecit Deus propter hominem: hominem autem propter seipsum. Si ergo animalibus ministrat propter hominem, quomodo hominibus non ministrabit propter seipsum? *Idem in Matth. Lactant.*

4. Universis animalibus data est ratio, brutis tantum ad vitam tuendam, homini autem ad prorogandam. *Plin. lib. 27.*

5. Animalia cuncta noscunt sibi necessaria præter hominem. *Idem lib. 22.*

6. Animalia gulæ carcere coercere cœpimus. *Cicer. 1. de Leg.*

7. Nullum est animal præter hominem, quod habet aliquam notitiam Dei.

ANTICHRISTUS.

1. Alligatio diaboli non permitit exercere totam tentationem, quum potest vel fraudulenter. Quod si permitteretur in tam longo tempore, et tanta infirmitate multorum, plures tales, quales Deus id perpeti non vult, et fideles duceret, et ne crederent, impediret. Quod ne faceret, alligatus est. Tunc autem solvetur, quando et breve tempus erit: nam tribus

annis, et sex mensibus legitur Salanas totis suis viribus sæviturus. *Aug. 20. lib. de civ. Dei.*

2. Gentes istæ, quas appellat Gog et Magog, non sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sive quos quidam suspicantur Gelas et Magetas propter literas horum nominum primas. Tota namque orbe terrarum significati sunt isti esse, quum dictum est: *Nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ: easque dixit esse Gog et Magog: quorum interpretationem nominum cognovimus esse: Gog tectum, Magog de tecto: tanquam domus, et ipse qui procedit de domo. Gentes ergo sunt, in quibus diabolum intelligimus inclusum, et ipse de illis quodammodo sese efferens, ut illæ sint tectum, ipse de tecto. Si autem utrumque referamus ad Gentes et tectum ipsæ sunt: quia in eis nunc diabolus includitur, et de tecto ipsæ erunt, quando in apertum odium de aperto eruptione sunt. *Aug. 12. de civit. Dei, cap. 1.**

3. Mille anni duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi. Aut quia in ultimis annis mille ista res agitur, id est, in sexto annorum milliario tanquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora voluntur. Secuturo deinde sabbato, quod non habet vesperam, scilicet requies sanctorum, quæ non habet finem, ut hujus milliarii tanquam diei novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi mille annos appellaverit. Aut certe mille annos pro annis omnibus sæculi hujus posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. Millenarius quippe numerus denarii numeri quadratum solidum reddit, scilicet decies dellem. *Aug. ibi. 20. lib. c. 7.*

4. Porrò mille, pro ipsa universitate aliquando ponitur: quale est illud quod in Psal. legitur: Memor fuit in sæculum verbi, quod mandavit in mille generationes: id est, in omnes. *Aug. ibi. c. 7.*

5. Diaboli custodiae annos mille intelligimus, id est, annos omnes suos, quæcumque pars habeat diversis ac propriis prolixitatibus finiendo, sicut de quadrin-

gentis annis in 16 hujus operis volumine disputavi, quoniam aliquid plus erant, et tamen quadraginta sunt nuncupati. *Aug. de Civ. Dei. c. 15.*

6. Quæ sit causa dilationis, ut reveletur in tempore suo scilicet: aperte hoc dicere noluit, et ideo nos qui nescimus, quod illi sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit Apostolus, cupimus, nec non valeamus, presertim quia et illa, quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Jam enim mysterium iniquitalis operatur, tamen quæ modo tenet teneat, donec de medio fiat, et tunc revelabitur iniquus: ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare, suspiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere potui, non lacebo. *Aug. ibi. c. 19.*

7. Non absurde, quod ait Apostolus de ipso imperio Romano, creditur dictum tanquam dictum sit: tamen quia modo imperat imperet, donec de medio fiat, hoc est, donec exeat de medio ecclesiæ mysterium iniquitalis, quod nunc occultum est. Alius ergo sic, alius sic Apostoli obscura verba conjectat, quod tamen eum dixisse non dubium est, non veniet ad vivos et mortuos judicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos adversarius ejus Antichristus. Sed in quo Dei templo sessurus sit, incertum est, et utrum in illa ruina templi, quod à Salomone rege constructum est, an in ecclesia. *Aug. lib. 20. de civit. Dei c. 29.*

8. Elias quippe ante adventum judicis Salvatoris non immerito speratur esse venturus, qui etiam nunc vivere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissime scriptura sancta testatur. Cum ergo venerit exponendo legem spiritualiter, quam nunc judæi carnaliter sapiunt, convertet et cor patris ad filium, id est, corda patrum ad filios, quum intelligentiam patrum perducet ad intelligentiam filiorum. *Aug. de civit. Dei lib. 20. c. 29.*

9. In judicio vel circa judicium has res dicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Judæorum.

Antichristum persecuturum, Christum venturum et judicaturum, mortuorum resurrectionem, honorum majorumque direptionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem, quæ omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis, et quo ordine venient, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen eo, quo à me commemorata sunt ordine esse ventura. *Aug. de civit. Dei lib. 20. cap. ultim.*

10. Nam de Salvatoris adventu, qui expectatur in fine, tempora dinumerare non audeo, nec aliquem Prophetam de hac re numerum annorum existimo præfuisse: sed id potius prævalere, quod ipse Dominus ait: *Nemo potest cognoscere tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Aug. in ep. 1. ad Helis. et est 68.*

11. Qui tenet, teneat, donec de medio fiat: et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui. Docet nos Antichristum manifestum futurum, siquidem ipsum videtur aliquando evidentiore significatione testigisse interficiendum spiritu oris Dei JESU Christi: sed post quantum temporis istud tempus erit, nec saltem obscure locutus est. *Aug. 2. epist. ad Hesych.*

12. Non prius veniet Christus quam regni Romani defectio fiat et appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo lamen nomine. *Ambr. sup. ill. 2. ad Theos. 2. Nisi venerit discessio primum.*

13. Beatus interfecto Antichristo dies super numerum prælinitum 45 præstolatur quibus dominus et Salvator in sua majestate venturus est. Quare autem post interfectionem Antichristi 45 dierum silentium sit, divinæ scientiæ est, nisi forte dicamus, quod dilatio regni sanctorum, patientiæ comprobatio est. *Hier. super illud Daniel, Beatus qui expectat et pervenit usque ad dies 1335.*

14. Antequam Antichristus appareat, virtutes ab

ecclesia magna cessabunt, quatenus eam quasi abjectiorem persequatur audacius: ob hanc enim utilitatem cessabunt, sub Antichristo ab ecclesia miracula et virtutes, ut per hoc sanctorum clareat patientia, et reproborum, qui scandalizabuntur, levitas ostendatur, et persequentium audacia ferocior efficiatur. *Isid. lib. de sum. bon. c. 25.*

15. Antichristi multa membra præcesserunt, et prave actionis merito caput proprium prævenerunt, secundum Apostoli sententiam, qui iniquitatis mysterium operari illum affirmat etiam antequam reveletur. *Isid. ibid. c. 26.*

16. Tam mira facturus est prodigia et signa, dum venerit Antichristus, ut etiam electis quidam cordis gignatur scrupulus, quod citò exuperetur in illis ratio, per quam sciret in deceptione reproborum, et electorum probatione eadem fieri prodigia. *Isid. ibid.*

17. Gravius tunc contra ecclesiam de semet synagoga, quam in ipso Salvatoris adventu Christianos est persecuta, dum in martyres diabolus jam exerceat magnam crudelitatem etiam alligatus, crudelior tamen erit sub Antichristi temporibus, quando etiam erit solvendus. Nam si ligatus tanta facere potuit, quanta solutus faciet? *Isid. ibid.*

18. Quanto breve tempus viderit sibi restare diabolus ut damnetur, tanto in magna persecutionis ira movebitur, divina justitia permitente, ut glorificentur justi, sordidentur iniqui, et ut diabolo crescat durior damnationis sententia. *Ibidem.*

19. Antichristus templum Hierosolymis reparare, et omnes veteres legis ceremonias restaurare tentabit. *Isid. 8. Etymol.*

20. In expletionem Romani regni, necesse est seculum consummari. *Effrem. l. 1.*

21. Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan, juxta quod Jacob ait: Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, et cætera: et cum venerit Hierosolymam, circumcidet se, dicens Judæis: Ego sum Christus vobis promissus in lege. Tunc confluent

ad eum omnes Judæi, et reedificabunt templum à Romanis destructum, sedebitque ibi dicens se esse Deum. *Aymo. in glo. 2. ad Thess. 2. c. Ex metho. prophet.*

Vide etiam in lit. Adventus nûm. 5.

APOSTOLI.

1. Currunt utique ad metam martyrii, perveniunt ad coronam, non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni revertentis occursu: cum enim sit in eorum passione anni diversitas, est tamen in uno die geminata festivitas. *August. in ser. apost. Petr. et Paul.*

2. Quis jam non desperet aut de humilitate generis, aut de magnitudine criminis, cum videat sic inundasse cœlestis gratiæ fontem, ut et piscatorem regibus præponeret, et persecutorem Apostolis cœquaret? Ille enim dum pauperiem suam curat, alimenta quotidiani victus quærit in pelago, factus est dives in Christo, cui reges et nationes famulantur in sæculo. Paulus verò dum urget gladiis sanctos, fidei suscepit jugum, et magister factus est gentium, forma martyrum, formido dæmonum, indultor criminum, fonsque virtutum. *Ibid.*

3. Dedit Dominus potestatem Apostolis super naturam, ut eam curarent: super dæmones, ut eos everterent: super elementa, ut ipsa immutarent: super mortem, ut eam contemnerent: super angelos, ut corpus Domini consecrarent. Hæc etiam potestas data est eorum successoribus, secundum illud Apoc. 6. hi habent potestatem claudendi cœlum et convertendi aquam in sanguinem. *Idem in ser. de Apost.*

4. Ex paucissimis et imperitissimis et abjectissimis multiplicantur, nobilitantur, sublimantur copiosissima agmina, clarissima ingenia, cultissima eloquentia doctorum acutorum ac facundorum. *Aug. 2. epistol. ad Volut.*

5. Apostoli nihil diversum à Christo docuerunt. *Augu. de consuet.*

6. Christus Jesus Petrum et Andream, et alios per quos operatus est salutem in medio terræ, non de foro Justiniani, sed se simplicitate piscatoria legitimus assumpsisse. Inflat enim sapientia hujus mundi, et legum ventosa loquacitas. Elegit non reges, non senatores, non philosophos, sed plebeios, pauperes, indoctos pisces, ineruditos liberalibus disciplinis, non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos. Piscatores Christus cum retibus fidei paucissimos misit, atque ita ex omni genere, tam multos pisces, et tam multo mirabiliores, quanto rarioribus etiam ipsos Philosophos cepit. *Augu. in serm. de Apost.*

7. *Petrus sequebatur à longè, etc.* Fortasse et in hoc Petrus nobis maxima sit admiratione reverendus, quod dominum non reliquit, et jam cum timeret: metus naturæ est, cura pietatis, suum quod non fugit, quod sequitur devotionis, quod negat obreptionis, commune, quod labitur, fidei quod pœnitet. *Ambros. sup. Luc. lib. 9.*

8. Non sine causa factum putemus, quod una die, uno loco, unius tyranni Apostoli toleraverunt sententiam, una die passi sunt, ut ad Christum pariter pervenirent. Uno loco, ne alteri Roma deesset, sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrumque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. *Ambros. in serm. apost. Petri et Pauli.*

9. Paulus non est inferior Petro, quamvis ille ecclesiæ fundamenta, iste sapiens architectus sciens vestigia fundare populorum, nec Paulus indignus collegio Apostolorum est. *Ambr. lib. 4. de Spiritu S.*

10. Potestatem tribuit Dominus Apostolis, ut sciant qui dominantur, à talibus humanam sententiam divina sententia corroborari. *Hier. super illud. Mat. 18. Quicumque allig.*

11. Piscatores illiterati mittuntur ad predicandum, ne fides credentium non virtute humana, sed eloquentia et doctrina Dei fieri putaretur. *Hier. super Matth.*

lib. 4. super illud. venite post me.

12. Nemo Apostolis pauperior fuit, nemo tantum pro Domino dereliquit. *Hier. in Epist. ad Exuber.*

13. * Apostoli frustra dicuntur nisi Christus miserit.

14. Paulus terram simul atque mare, Græciam simul atque Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub sole regionem, quasi volitans circuevit, non simplici labore velut in vacuum itinera percurrrens, sed peccatorum spinas pariter evellens, membraque pietatis ubique seminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens: quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus angelos provehens. *Chrys. de laudibus Paul. homil. 1.*

15. O mirabiles fluvios! nobis genuit Paulus, non secundum paradisi fontem tantum sed etiam multo plures ac quotidie fluentes, non terram irrigantes, sed animas hominum ad producenda germina virtutum suscitantes. Quis igitur ad explicanda Pauli merita sermo sufficiet? quæ lingua laudibus ejus inveniatur æqualis? cum omnia quæ sunt in omnibus bona anima una possideat: et ea cuncta plene atque cumulate, nec solum hominum, sed et quod potius est Angelorum. *Chrys. ibi. hom. 1.*

16. Paulus cæli civis, ecclesiarum columna, Angelus terrestris, cælestis homo. Sicut enim missum in igne ferrum lotum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus effectus est charitas. *Ibidem.*

17. Misit Christus Apostolos quasi sol radios suos, quasi rosa suavitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, ut sicut Sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia agnoscitur. Quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudat? Faciebat enim mirabilia Christus, faciebant et discipuli ejus, et inter mirabilium operationes major fama virtutum crescebat. *Chrys. super Matth.*

18. O frater mihi Thimothee, si vidisses agones

consummationis ipsorum, defecisses quidem præ tristitia et dolore! Quis non fleret illa hora, quando præceptum sententiæ egressum est in eos: ut scilicet, Petrus crucifigeretur, et Paulus decollaretur? Vidisses quidem nunc turbas Judæorum et Gentilium percutientes eos, et expuentes in facies eorum. Sed adveniente terribili tempore consummationis ipsorum, ligavit columnas mundi, non utique absque fratrum gemitu atque ploratu, et cum separarentur ab invicem, tunc Paulus ait Petro, Pax tecum, fundamentum ecclesiarum, pastor ovium, et agnorum Christi. Ac Petrus ad Paulum: Vade in pace prædicator honorum, mediator, et dux salutis iustorum. Cum autem elongassent eos ab invicem, secutus sum magistrum meum, scilicet Paulum. Non in eodem loco sive vico occiderunt eos. *Dionys. in epist. ad Tim.*

19. Attende miraculum, vide prodigium, frater mi Timothee, nam præsens fui in tempore separationis eorum: post mortem autem eorum vidi eos invicem manu ad manum intrantes portas urbis et indutos veste luminis et coronis claritatis et lucis ornatos. *Dionys. in ead. epist.*

20. Merito Apostolis sanctis attribuitur, quod in sapientiæ libris legitur: *Hi sunt viri misericordiæ.* Sunt enim plene viri misericordiæ, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordiæ pleni, sive quia misericorditer à Deo donati sunt nobis. *Ber. in ser. Petr. et Paul.*

21. Scimus, quod viri isti, nec sibi vivere, nec sibi sunt mortui, sed ei qui pro ipsis mortuus est, magis autem nobis omnibus propter illum. Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina et etiam mors ipsa, et in conversione eminentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati Apostoli contulerunt, qui etiam usque hodie conferre non cessant misericordiæ pleni, et sanctarum orationum fructibus. *Ibidem.*

22. Igne spiritus sancti quasi vivæ lucis fontem Christus Apostolos suos perfudit, ut ipsi postmodum

universum mundum tanquam duodecim solis radii, ac totidem lampades veritatis illuminarent, et inebriati novo vino, repleant atque irrigent scientia corda omnium populorum. *Leo papa in ser. Petr. et Paul.*

23. Veniente luce, diei ægritudines alleviantur, homines à somno excitantur, aves garrunt, bestiae ad latibula sua fugiunt: sic luce Apostolorum veniente, mundus fuit edificatus in credendis, fecundatus in operibus bonis, alleviatus peccatis, excitatus à negligentis, animatus ad contemplationem cœlestium, ereptus à potestate dæmonum. *Basil. tractans illud Matth. 5. Vos estis lux mundi.*

24. Paulus ultra humana raptus est ad tertium cœlum, cœlestia secreta cognovit, ut ecclesiarum futurus doctor inter angelos disceret, quod inter homines prædicaret. *Max. in ser. apost. Petr. et Paul.*

25. Literis, quas ad civitatem, sive caput provinciæ direxisti, misericordia, exhortatione, vitam mortalem continentibus usque relecti sumus, quos sensus non puto ex te dictos, sed per te. Tanta enim majestas earum est rerum, tantaque gloriositate callens ut vix suffectoras putem ætales hominum, quibus his instrui, ut non dicam, perfici possent. *Sen. ep. 1. ad Paul.*

26. Confiteor Augustum sensibus tuis permotum, cui perfecto virtutis exordio ista vox fuit, mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit taliter sentiat, cui ego respondi, solere Deos ore innocencium effari. *Senec. 6. epist. ad Paul.*

27. Ave mi Paule charissime: putasne me contristari, et non luctuosum esse, quod de innocentia vestra deinde supplicium sumatur. Sed feramus æquo animo, et utamur foro, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. *Senec. 9. epist. ad Paul.*

28. Ave mi Paule charissime: cum sis vertex altissimorum omnium montium cacumen, vis ita latere, ita sim tibi proximus ut alter tuus deputer. Nam qui meus tuus apud te locus, qui tuus velim, ut meus.

Oplarem enim ejus esse loci apud meos, cujus sis, Paule, apud Christianos. *Senec. 12. epist. ad Paul.*

29. Alegoricè et enigmaticè multa à te colliduntur, et ideo rerum tanta vis et muneris tibi tributa, cultu quodam decoranda est. Certum mihi concedas velim latinitati morem gerere, honestis vocibus speciem adhibere, ut generosis muneris concessio dignè à te possit expediri. Mirum enim tam arduas sententias, tam humilibus, et tanquam inordinatis verbis resonasse. *Senec. 13. epist. ad Paul.*

30. Tuam tubam totus orbis jure veneratur, quam constat geminata felicitate cecinisse, quando nec æmulum reperit nec æqualem. *Cassiod.*

Vide etiam in tit. Correctio, nùm. 38. in tit. Ecclesia nùm. 7.

ASCENSIO.

1. Ubi et quomodo sit in cœlo corpus dominicum, curiosissimum et supervacuum est quærere, tantummodo in cœlo credendum est. *Aug. de fide et symbolo.*

2. Corpus non ascendit, sed levatum est in cœlum, illo levante, qui ascendit. Si enim quisque descendat, verbi gratia, nudus de monte, cum autem ascendat, vestiatur se, et iterum ascendat vestitus: ratione utique dicimus, nemo ascendit nisi qui descendit. *Aug. de agone Christiano.*

3. Quorum sepulchra in passione Domini sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente de pulvere sunt suscitata. Decebat enim ut ille prius resurgeret, deinde illi, sicut dixit Apostolus Paulus, Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, et sicut cum Domino surrexerunt, ita cum eo ascendente etiam ipsi ascendisse creduntur. *Aug. in ser. de Resurr.*

4. Raptus est Dei filius ab humanitate ad divinitatem in transfiguratione: à passibilitate ad immortalitatem in Resurrectione: à minoritate ad patris æqualitatem in Ascensione: quia quantus fuit descensus à sinu patris ad patibulum crucis, tantus fuit as-

census à patibulo crucis usque ad dexteram patris. *August. et est in glo. Apo. 12 super illud. Raptus est filius ejus.*

5. Quum audis elevatum, agnoce militiæ cœlestis obsequium non auxilium, servitium non subsidium, ministerium non adjutorium. *Aug. tractans illud Elevatus est in cœlum. Act. 1.*

6. Dominus noster Jesus Christus, dum naturam humanam sideribus importavit, credentibus cœlum parere posse monstravit; dum vincentem in cœlestibus elevavit, victorem mortis, quò sequamur, ostendit. *August. ibi.*

7. Ascensio Dei, Catholicæ fidei confirmatio fuit, ut securi in posterum crederemus, et miraculi illius donum, cujus etiam in præsentì perciperemus effectum. *Aug. in serm. de Ascensio.*

8. Nos Christi mors vivificavit: nos resurrectio erexit, nos Christi ascensio conservavit. *Aug. ibi.*

9. Resurrectio Domini spes nostra est, ascensio glorificatio nostra. Si ergo rectè, si fideliter, si devote ascensionem Domini celebramus, ascendamus cum illo, et sursum corda habeamus. *Ibidem.*

10. Virtutes ministræ præcedentes Christum in ascensione ad alias virtutes clamant, ut viam Domino venienti aperiant, eique occurrant. Reserate, inquit, cœlestes aditus: venienti Domino æternalis ingressus pateat: aperiantur æthereæ januæ, et æternarum ædium valvæ, et introibit Rex gloriæ in cœlum, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis. Ipsæ enim virtutes angelicæ novo misterio carne induti stupefactæ, quærunt cum admiratione: Quis est iste rex gloriæ? quibus respondent aliæ, Dominus virtutum, etc. Licet enim multi scirent ipsum esse hominem: non tamen sciebant humanam naturam supra se exaltandam. *Hier. super illud Attollite portas.*

11. Vultis ejus saltus cognoscere? de cœlo venit in uterum, de utero venit in præsepium, de præsepio in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum. *Greg. hom. 29. super Evang.*

tractans illud: Ecce iste venit saliens.

12. Salvator noster, qui quum in ea carne quam assumpsit, ascendit in cœlum, peregre profectus est: quia locus carnis propriè terra est, quæ quasi ad peregrina loca deducitur, quum in cœlo collocatur. *Greg. in hom.*

13. Illo revertebatur Christus, ubi erat, et inde redibat ubi remanebit: quia cum per humanitatem ascenderet in cœlum, per deitatem suam, et terram pariter continebat, et cœlum. *Greg. hom. 29.*

14. Oportet, fratres charissimi, ut illuc sequamur corde, ubi Christum credimus corpore ascendisse, et si adhuc tenemur infirmitate corporis, sequamur tamen eum passibus amoris, quia is qui placidus ascendit, terribilis redibit. *Ibidem.*

15. In hac solemnitate deletum est chirographum nostræ damnationis, mutata est sententia nostræ corruptionis. Illa enim natura, cui dictum est: terra es, et in terram ibis, hodie in cœlum ibit. *Greg. in hom. 29.*

16. Ascendimus duobus modis: meditatione et oratione. Meditatio quidem quid desit, docet: oratio ne desit, obliet. *Bern. in ser. Ascensionis.*

17. Ascensionis quatuor dicimus esse gradus, prima ad cor: secunda in corde: tertia de corde: quarta supra cor. In prima timetur Dominus, in secunda auditur consiliarius, in tertia desideratur sponsus, in quarta videtur Deus. *Bern. super Cant.*

18. Domino meo datum est singulariter sedere à dexteris in gloria Patris cœquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, majestate non dispari, æternitate non posteriori. *Bern. super Psal. Dixit Domin.*

19. Natura cujus causa paradus à Cherubim custodiebatur, hodie super Cherubim, cum summo honore suscepta est: et natura cui dictum est: terra es et in terram reverteris, hodie in cœlum ivit, et sine termino super cœlos regnat. *Chrysost. in hom. de Ascensio.*

20. Fit caro verbum, id est, homo Deus, et qui homo est, in cœlis est, et qui Deus est, de cœlis est: ascendit descendens, sed descendit non descendens: est qui erat, et quod est, non erat. *Hil. de Trinit.*

21. Non solum hodie cœli possessores firmati sumus, sed superna cœlorum in Christo penetravimus, ampliora recepturi per suam ineffabilem gloriam, quam per diaboli perdidimus invidiam: quia quos diabolus de primi habitaculi felicitate ejecit, hos Dei filius sibi corporatos ad patris dexteram collocavit. *Leo Papa in ser. Ascensio.*

22. Non otioso inter resurrectionem et ascensionem 40 dies transiere discursu, sed magna confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria. In eis dira mortis aufertur metus, vere simul et carnis immortalitas declaratur. In his insufflatio spiritus sancti infunditur, in his beato Petro præter cæteros ovilis dominici cura mandatur. *Ibidem.*

23. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Quisquis ergo in cœlum ascendere desiderat, ei qui de cœlo descendit, decet ut in cœlo se vera fidei et dilectionis unitate jungat, aperte intelligens, quod nullo alio ordine, nisi per eum, qui de cœlo descendit, in cœlum ascendere possit. *Beda super Joan. 5. Erat homo ex Pharisæis.*

24. Refræna iram, expue malitiam, expugna luxuriam, et de peccatis, virtutibus fecisti gradum, qui ducit in cœlum. *Chrys. de Symbolo, Ascendit ad cœlos.*

Vide etiam in tit. Resurrectio, núm. 3, 7. in tit. Christus núm. 2.

AVARITIA.

1. Non solum avarus est, qui rapit aliena, sed ille avarus est, qui cupide servat sua. *Aug. in quodam serm.*

2. Avarus antequam lucretur, seipsum perdit, et antequam aliquid capiat, capitur. *Aug. ibid.*